SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425697444/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425697444/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

35

Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

IDN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECT. SAXON. HEREDE

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

FLVORE ALBO

PRAESIDE

D. IO. GOTHOFREDO BERGERO

ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE

ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI

HONORES

P. P.

M. CHRISTIANVS BENED. CARPZOVIVS

LIPSIENSIS

A. D. IVN. cIↃ IↃ cc XI.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id425697444/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DE

MAGNIFICENTISSIMO

CASTELLO ARCUATO

DE

PALUDE

AD

PALUDEM

PROPE

PRO LIBERTATE

HONORIS

CAUSA

A. D. XL.

DE

FLVORE ALBO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

I.

DOlendum eſt, elegantiorem ſexum cum aliis ex utero malis, tum eo in primis tentari, qvod Græcis ῥῆς λευκὸς, Latine Fluor albus nominatur. Hoc enim ea loca, quibus mulier ſpem ſibi a viro commendatam conti-

net, altamque, et elaboratam parit, humore madent, et manant ſeroſo, ac pituitoſo, tenui, craſſove, ea interdum vi ac copia, ut fructu alimenti corpus privet, et ſpe iſta non raro evertat, atqve ad varia incommoda, et mortem ſæpe præmaturam, ducat.

II.

ID genus fluxionis mulieres afficit coniuges æqve, ac viduas, ætate florentes pariter ac ſeneſcentes, ipſasqve interdum gravidas, non tamen foemellis inprimis foetas, ut quidam ſibi fingunt. Neqve vero virginibus parcit adultis, ſed rarius parvulis provenit, ut alios inter *Fernelius*, *Pathol. lib. VI, c.* 16, *Th. Bartholinus*, *Act. Hafn. P. I, obſ. LXXXIII*, et *Pechlinus*, *obſ. phyſ. med. XXXIV*, *lib. I*, exemplis teſtantur. Atqve illud qvidem nunc certis temporum periodis, et vel nova, ſingulis menſibus, luna, ut obſervavit Pitcarnius, apud *Richardum Mead*, *cap.* II *de imper. ſolis et lunæ in corp. hum.* vel medio plerumqve tempore inter duas purgationes menſtruas, reverti, ac plures durare dies, modo nullo certo, vel ordine, vel circuitu, freqventer, et aſſidue urgere, nec, niſi prorumpentibus catameniis, et aliquanto poſt, intermittere conſvevit. Initio mitis aliquandiu hu-

humor, nec multus exit, progreſſu autem temporis copioſior mordaxqve fieri, et nunc tenuis et aqveus, nunc mucoſus et candidus, modo glutinoſus, et tanquam ex ovo crudo ſubalbidus, ac demum quibusdam citrinus, ſubviridis, vel mixtis tinctus coloribus, graveolensqve eſſe, et varia inferre mala ſolet. Gravius autem alias, alias mitius tenet, ita ut qvædam nihil inde detrimenti, præter madorem atqve ſorditiem locorum, perſentiſcant. Plerisqve vero appetitus vitiatur ciborum, et bonitas coloris, et gratia, ac venuſtas et pulchritudo corporis corrumpitur. Quodſi grave malum ſit, magna virium fit mutatio, et gravitas qvædam ac laſſitudo membra occupat, et lumbago, ſive dolor, et mollities ac debilitas in lumbis, atqve in animo triſtitia, oritur. Accedit ſpirandi difficultas, et palpitatio cordis, nullumque corpus ciborum fructum ſentit, ſed aliis tabe conficitur, aliis male alitur, et laxum, molle, ſegneqve redditur, atqve in palpebris, et cruribus, intumeſcit. Sæpe etiam foecunditatem amittit, et malis aliis ſupra alia affligitur.

III.

ATque hæc qvidem eſt idea et ſpecies Fluoris

albi, prout eam a Græcis traditam accepimus. Ex his *Hippocrates lib. de Nat. mul.* ita habet: *Cum fluor albus ſubortus fuerit, urina, qualis aſini, apparet, et dolor imum ventrem, lumbos ac laterum inanitates detinet, crura ac manus intumeſcunt, oculorum cava elevantur, et oculi humeſcunt, color auriginoſus et albus redditur, cumqve deambulat, anhelatione corripitur. Hic morbus oritur, ſi natura pituita abundans, febricitarit, bilisque commota minime purgata fuerit.* Ei vero hodie nonnulli, inter qvos *Richardus Morton, Phthiſiol. lib. I, cap.* 4, illud fluxionis genus, quod impura venus relinqvit, iungendum putant, qui omnis illuviei incruentæ per naturalia excretionem fluoris albi nomine comprehendi volunt. Qva ratione fluxionem qvoqve purulentam ex ulcere uteri eodem referunt. Sed hanc rectius pleriqve a fluore albo diſtingvunt. Ab eodem ſeiungendam eſſe fluxionem illam veneream, qvam vulgo gonorrhoeam vocant virulentam, cum indoles mali, tum ratio curandi, et cautio, ne innocentibus et caſtis affingatur, poſtulat. Nam fluxio venerea, copia minor, ſed tanto acrior eſt, et magis exedens, atqve cum dolore ardente, maxime inter meiendum, continenter, etiam cum menſes flu-

fluunt, ex inflictis a contagio venereo, qvo propagatur, ulcuſculis, fertur, neqve illam, qvam paulo ante commemoravimus, ſed aliam, ſympto-matum ſeriem invehit, quæ originem mali, et inde facile naſcentem luem veneream, prodit. Non magis ea antiquitati cognita fuit, quam gonorrhoea virulenta virorum, atque ex hac prodiens lues venerea. Hanc enim pleriqve, inter qvos præcipuus eſt *Gvicciardinus*, *lib.* II, *hiſtor. ſui temp.* cum Columbo demum ex America, qvam diu ante gravisſime exercuerit, in Hiſpaniam primum, ex eaque in alias orbis partes, commigraſſe, alii autem, qvibus adſtipulatur *Manardus*, *epiſt. med.* II, *tom.* II, *lib.* 7, eodem ipſo tempore, qvo Carolus IIX, Galliarum Rex, expeditionem Italicam parabat, coepiſſe, volunt, Valentiæ, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbe, a nobili qvodam ſcorto, cuius noctem Elephantioſus quidam ex eqveſtri ordine miles qvinqvaginta aureis emerit. Et cum ad mulieris concubitum frequens iuventus accurreret, intra paucos dies ſupra quadringentos infectos, e qvorum numero cum Carolum, Italiam petentem, multi ſeqverentur, idem malum in Italiam importatum, ac deinde, tanqvam libidinoſi commercii poenam, in regiones alias delatum fuiſſe. Quodſi ve-

verum eſt, minus mirandum erit, ſi conſummata lues venerea propius ad lepram accedat, et vitiati corporis contactu contrahatur, tum a parentibus quoque ad liberos more Elephantiæ tranſeat. Sed qvomodocunque lues iſta orta ſit, illud omnino certum eſt, in monumentis veterum eam deſiderari.

IV.

EX qvibus apparet, aliam fluoris albi, quem ſupra expoſuimus, rationem eſſe. Is enim variis evenire cauſis ſolet, quæ ab *illius mali cauſa* longiſſime diſtant. Inter has eſt ubertas ſuccorum corporis, et colluvies inprimis chyloſa, ſeroſaqve, qvæ multo, pravoqve victu, et potu inprimis copioſo zythi, itemque foliorum thee, et fabarum coffe, et diminuta qvavis cauſa tranſpiratione, excretioneqve urinæ, colligitur. Quorſum multum conferre vitam molliculam, ac ſedentariam, cum res ipſa docet, tum ex eo conſtare poteſt, qvod eo malo potiſſimum urbanæ afficiantur, et qvæ vitam otio, moerore, ac ſilentio tranſigunt: qvæ vero ruri degunt, et negotioſae ac liberiore ſunt animo, eius expertes vivant. Recte *Hippocrates lib. III, de diæta*, non minus morbos oriri ſtatuit, cum cibus labo-

laborem ſuperat, qvam cum a labore ſuperatur, et ſanitatem tunc elucere atqve conſiſtere, cum laborum, ciborumqve, æqvabilitas eſt ac ſymmetria: deſuperante vero laborem cibo, repletiones, cruditates, atqve corruptelas ſangvinis, et viſcerum, exiſtere. Eodem pertinere cum frigus, tum fumum calidum, tempore hyberno ex ignitis carbonibus in naturalia admiſſum, iniectosqve in illa loca liqvores, ac res alias immiſſas, venerem porro importunam, et nimiam, ac laſcivas titillationes, ſatis experientia docuit. De uſu qvoqve freqventiore balneorum notius id eſt, qvam ut dici debeat. In primis autem tam ſuppreſſionem, qvam immoderatum menſium, et lochiorum, fluxum, abortus item, partusqve crebros, ac difficiles, et relictas ab utrisque placentulas, et partes placentarum, qvas vulgo molas vocant, atqve ab his, aliisqve, cauſis excitatas hæmorrhagias uteri, idem mali genus ſequi, idqve gravius, et curatu difficilius, qvotidianæ muliercularum querelæ, et medicorum obſervationes, teſtantur. Qvibus addendum eſt, id etiam aliqvando minus cauto uſui medicamentorum, menſes pellentium, et diureticorum, qvin imo purgantium, ut meminit *Platerus*, *Pr. tom.* 3, *cap.* 7, ſupervenire, nec raro foedi vir-

ginum coloris, et omnis cachexiæ, ac hujus generis affectuum aliorum, comitem ac pediſſeqvum eſſe.

V.

QVo vero pateat, qva ratione his, qvas commemoravimus, cauſis, et, ſi qvæ ſunt fortaſſis aliæ, fluor is, de qvo agimus, exoriatur, id qvidem iam conſtare arbitror, in eo illud affectum eſſe viſcus, cui ſpem omnem perennitatis natura committit, uterum puto, cum ſinu pudoris, ſive vagina ſua, ita quidem, ut modo huius, modo illius, modo utriusqve labes culpam ſuſtineat. Cumqve ea in glandulis illarum partium qværenda ſit, notari refert, qvasdam earum maiores iuxta urethram, in ipſoqve vagiñæ aditu, collocatas, plures vero minores per omnem illius ſinus interiorem tunicam inter papillas nerveas pyramidales ſparſas ac diſſeminatas eſſe, et ſuis qvasqve oſculis in cavum illius hiare, et liqvorem emittere, lubricandæ vaginæ utilem. Hunc ſemen eſſe mulierum, conſtans multorum fuit opinio, dum anatome oſtenderet, teſtes mulierum ovaria, et ſemen earum in illis recondita eſſe ovula, humorem vero iſtum rigandæ tantum vaginæ ſervire.

vire. Quod vero ad uterum attinet, id quidem cl. *Io. Bapt. Morgagni*, in illustri Bononiensium Academia anatomen magna laude profitentis, industria, quam in *adversariis anatomicis* publice ostendit, iam clare constat, illius cervicem in tunica interiore densis glandularum subrotundarum, aut ovalium, variæ magnitudinis agminibus stipari, easqve fontes esse lenti illius et glutinosi succi, qvi, facta conceptione, adiuvantibus rugis cervicis valvulosis, aditum aeri per os uteri ad interiora præcludit, ut nemini mirum videri debeat, vix nuper propositam de tertio in cervice uteri ovario sententiam in ipso ortu defeciisse. Fundum qvoqve uteri intus glandulis refertum esse, nemo amplius dubitat, qvamvis eæ a magnitudine, figuraque, glandularum cervicis permultum differant, atqve aliter ab aliis nominentur.

VI.

HAs autem omnes glandulas a Deo fabrefactas esse, intelligimus, ut succum ex sangvine seroſum, tenuem aliæ, aliæ crassum et glutinosum, secernant, sangvinemque ipsum ex uteri fundo maxime, et vagina, et modo ex hac, modo ex illa, aliquando ex utraqve parte, statis temporibus

bus dimittant. Quod non negandum esse, ipse censuit laudatus modo *Morgagnus* l. c. qvi, quod alii in vagina observarunt, in cadaveribus menstruo sangvine profluente defunctarum ipsum uteri fundum vidit, sangvineis maculis ita distinctum, ut ex iisdem leni pressione cruentas elicere guttulas facile potuerit. Pari modo cl. *Ruyschius* in utero menstruato cruorem coagulatum, aliumque oviductui unius lateris, ipsiusqve superficiei ovarii adhærescentem, se deprehendisse, scribit, *thes. anat. IV, p.* 47. Id vero fit, cum sangvis, pulsu cordis per vasa corpus circumiens, et, adaucta paulatim mole, turgescens, in arteriis uteri, eiusque vaginæ, ob venas comites, valvulis carentes, et pendulas, et ideo difficiliorem in his progressionem, ac renitentem vim adaucti pariter sangvinis, aliqvid de motus sui velocitate remittere cogitur, atque a tergo subsequente sangvine accumulatus, et pressus, vasaqve distendens, suorum incuneatione solidiorum globulorum meatus glandularum eo usqve aperit, et diducit, ut per eosdem exire tandem possit, tantisper, dum emissa parte redundante, ad pristinam redactus molem, et faciliorem progressionem, nullam amplius vim vasis illis ac glandulis inferat, et

his

his iterum contractis, solito tenore in orbem antiqvum redeat, nec nisi aliqvam seri partem per angustiores iam redditas glandulas dimittat. Qvod si illæ glandulæ ultra modum dilatatæ, vel ruptæ, erosæqve, hient nimium, ac dimittendo sangvini æqvo diutius pateant, mensium fluxus immodici, et sæpe graves admodum hæmorrhagiæ uteri, perinde fere, atqve ab apertis vasculis sangvineis oboriuntur. Sin accidat, ut eædem uteri, vaginæqve, viæ, sive glandulæ, plus æqvo coarctentur, et occludantur, in promtu est ratio, qvamobrem sangvis aliorsum exitum qværat, eumqve nunc in naribus, nunc in vasis hæmorrhoidalibus, modo in ventriculo, nec raro in pulmonibus, aliqvando in gingivis, et salivæ viis, interdum per glandulas ductusqve lachrymales, aut alibi corporis, magno sæpe illius allevamento et commodo, inveniat.

VII.

SEd multo fieri aliter videas, cum hæ omnes uteri, et coniunctarum ei partium, glandulæ, qvavis causa labefactæ, rursus contrahi satis neqveunt; sed laxius connivent. Ita enim eveniat, necesse est, ut, qvamvis globuli sangvinis rubicundi iisdem non emittantur, succus tamen is, qvi natu-

ra parcus, et qvantum rigandis naturalibus ſufficit, per eas ſecernitur, iam uberius dimittatur, et fluxionem albam conſtituat. Haud aliter, ac modo frigore, modo calore, vel cauſis aliis, labefactatis narium glandulis, illarum deſtillationem concitari, atque ex laxitate glandularum lachrymalium oculos lachrymoſos, ex atonia vero glandularum cutis multos oriri ſudores, comperimus. Eſt qvippe his glandulis omnibus, ut aliis qvibusqve corporis, vis ſua naturalis, qva remitti, ac dilatari, et adduci rurſus, contrahique, ac preſſioni ſangvinis, qvoad ſatis eſt, reniti poſſint, a qua, bene habente, recta ſecretio, labefactata vero, perverſaque, ſecretio mala, et nunc maior, nunc minor, modo prorſus aliena, proficiſcitur.

IIX.

ATqve eo qvidem cauſas, qvas ſupra commemoravimus, omnes pertinere, nunc facile intelligitur, ut firmitudinem ac vim illam glandularum uteri, et qvæ ad eum pertinent, partium ceterarum, ſolvant et relaxent, eoque uberiorem ſuccorum per eas transmiſſionem, et illam ex naturalibus deſtillationem, efficiant. Non multi iam laboris erit, ut oſtendamus, qva ratione plethora ſangvinis

nis, et colluvies ferosa, chylosaqve, ad gignendam fluxionem albam conferant. Qvanta enim vis sit diducendi ora glandularum exuperantiæ sangvinis, si minus aliunde constet, satis ex iis apparet, quæ de fluxu menstruo dicta sunt. Qvibus addendum est, qvod *Fernelius, l. c. cap. XV*, de qvadam commemorat muliere, qvæ hydrope uteri, a collecto procul dubio humore seroso ex glandulis illius, correpta, qvoties appetebat menstrua purgatio, omnem aquarum colluviem per cervicem uteri profundebat, pelvesqve sex, aut octo, implebat aqva citrina ferventissima, dum venter totus subsideret. Mox deinde menses insequebantur ex naturæ præscripto. Collecta proximo mense par colluvies, stato dein tempore profluebat. Hæc tandem persanata, uterum gestavit, peperitque bene vitalem fœtum. Qvo igitur sangvis copia, et impetu, maiore, eoqve diutius continuato, glandulas uteri perfringit, hoc magis, et gravius, easdem labefactare potest, ut deinde, prout magis, vel minus, hiant, sangvinem ipsum, sive serum una cum globulis purpureis, vel huius tantum partem, maiori, quam fieri debebat, copia transmittere cogantur. Hinc vero ratio patet, qvamobrem plethoram sangvinis, nec minus suppressionem, qvam immo-

moderatam fluxionem menſium et lochiorum, atque hæmorrhagias uteri, et uſum importunum remedioruin rarefacientium, et ſtimulantium emmenagogorum, diureticorum, atqve purgantium, fluor tandem albus ſeqvatur. Colluvies vero ſangvinis ſeroſa, chyloſaque, eundem parit affectum, cum vel ſua copia, vel parte viſcida, intus glandulis adhæreſcens, easqve infarciens, vel tenuitate ſua facilius pertranſiens, illas ita paulatim emollit, relaxat, et dilatat, ut ſimilis deinde humor, qvo eæ imbutæ, tument, hoc perfluat uberius, qvo maiori copia eodem inqvinatus ſangvis per arterias adducitur. Ita vero conſtitutum uterum vulgo, et merito, pituitoſum appellant. Qvo minus miremur, in mortuis, qvæ vivæ hoc malo graviter laborarunt, glandulas uteri magnitudine piſi tumidas, et induratas, inveniri. Quemadmodum a cl. *Dolæo, encycl. med. dogm. lib. V, c. IV*, relatum legimus. Qvod ſi humor ſeroſus ſimul acrimonia polleat, facile eſt intellectu, eum rodendo glandulas facilius hoc excitare malum, et gravius reddere poſſe.

IX.

NEqve vero nunc opus erit pluribus oſtendere, qvo

qvo modo freqvens balneorum uſus, et admiſſio, vel frigoris, vel fumi carbonum, iniectiqve liqvores, et immiſſæ res aliæ, ſuo glandulas contactu labefaciendo, fluorem album inducant. De thermis non prætermittendum eſt, qvod notavit *Platerus* l. c. multas mulierum, qvæ eis inſediſſent, hoc vitium contraxiſſe, non ob contagium, qvia cum aliis, qvæ illo laborarunt, in eodem balneo ſederint, ut qvidem ſibi perſvaſerint, ſed qvod uſu balneorum continuo, ſicuti ex ſangvine id, qvod tenuius eſt, per ſudores emitti ſolet, ſic etiam per hanc excretionem uteri ea maxime, qvæ ob craſſitiem, ſudore exhauriri neqveunt, expellantur: veluti crebro admodum evenire obſervamus, ut excretio, per cutim impedita, pro varia habitudine materiæ excernendæ, et glandularum excernentium opportunitate, nunc per veſicam, nunc per alvum, modo per ſalivæ vias, divertatur, et ſuppreſſam urinæ ſecretionem in renibus ſudor copioſus ſeqvatur. Iam vero patet etiam, qua ratione abortu, et crebro, ac difficili partu, et utero firmius accretis, et brevius, vel longius, relictis, ac deinde natura, vel arte, nunc facilius, modo difficilius, eiectis, placentulis, ac partibus placentarum, ſive pſeudo-molis, et obortis inde hæ-

morrhagiis, uteri glandulæ diſtrahi, laxari, ſolvi varie, et ampliari, totiusqve non raro tonus uteri perverti et labefactari, atqve ad ſuſcipiendum fluorem hunc præparari poſſit. Illud demum cuivis facile eſt colligere, eo facilius eundem oboriri, qvo plures enumeratarum hucusqve cauſarum concurrunt. Ad has accedit naturalis uteri laxior, et nimis ſeroſa ſangvinis diſpoſitio, ob qvam aliæ præ aliis huic malo ſunt obnoxiæ. Nam qvæcunqve mollioris et humidioris ſunt conſtitutionis, qvæqve ad cachexiam magis inclinant, eas freqventius in illud incidere obſervamus.

X.

His ita expoſitis, omnium phænomenorum, qvæcunqve ita laborantibus obvenire diximus, ratio pateſcit. Nam, prout varia eſt ſangvinis et uteri labes, minus aliæ, aliæ gravius afficiuntur. Ac mitis principio, paucusqve, humor exit, quod minus hiant glandulæ, neqve acribus alluuntur humoribus, ſed blandus adhuc ſuccus in eas influit. Hunc vero illæ hoc deinde copioſiorem acrioremve fundunt, qvo magis disiuncti ſunt meatus earum, et hiant, ac fereſcentium acrium-

umve humorum uberior copia adducitur. Ex eadem cauſa, et perinde ac colluvio ſuccorum ſuppetit, vel aſsidue fluor urget, vel per intervalla longiora, vel breviora, certaqve, vel incerta, repetit, et ſangvis qvoqve menſtruus ſeqvitur, qvia glandulæ, mediocriter relaxatæ, et pituitoſo imbutæ ſucco, ſimilem tantum humorem admittunt, at ſangvineis tandem cuneis magis dilatatæ, ipſum ſangvinem transmittunt, eoque ceſſante impetu, ad priſtinam mediocrem redeuntes amplitudinem, globulis ſangvinis rubentibus exitum præcludunt, relicto ſerogvinis tantum parti uberiore, parcioreque, tranſitu, qvo deinde fluor albus perſeverat, isqve, pro humorum, ex ſangvine affluentium, vel ipſo in tranſitu corruptorum, varietate, tandem varius, citrinus, ſubviridis, vel mixtis tinctus coloribus, ſiquidem omnis maſſa humorum, crudis, viſcidis, bilioſis, ſalſis, et aliis ſcatens impuritatibus, expiari per has vias conſveverit. Vidimus, fluorem hunc album flaveſcentem prodiiſſe, qvoties crocus cum alimentis aſſumeretur.

XI.

QVare, ubi, ob cacochymiam humorum maſſæ ſangvineæ, et auctam paulatim laxitatem

uteri, et coniunctarum ei partium, ipsorumqve vasorum, ac ligamentorum, fluor hic adolevit et inveteravit, necesse est magnam in homine mutationem fieri, in primis autem corrumpi bonitatem coloris, ac gratiam minui, et corpus debile atqve elumbe, animum vero mœstum tristemqve reddi. Nam qvia succus is, qvi vires cerebri ac nervorum, ipsiusqve cordis, et ventriculi, ac musculorum omnium, fulcire ac tueri, et rubore suo candorem cutis ita perfundere debet, ut floridus ex utrisqve color concilietur, a vivido vigore desciscit, per viasqve devias illarum glandularum nimium decedit, fieri omnino debet, ut vis non minus cerebri, qvam cordis, et ventriculi, ac viscerum aliorum, musculorumqve, minuatur, ac pereat vigor et pulchritudo corporis, ac simul animus langvescat, et accumulatis lentis crudisqve succis, corpus infarciatur potius, qvam alatur, malumqve adeo habitum contrahat, vel aucto nimis profluvio, decedentibus magis magisqve succis utilibus, nullis vero, vel paucioribus, in eorum locum subeuntibus, summa tandem macies oriatur, et nisi occurratur, tollat. Ex eodem fonte aliquando etiam sterilitas proficiscitur, qvando semen in illa eluvie uteri vel suffocatur, vel corrumpi-

rumpitur, vel cum eadem ſtatim reiicitur, ut docuit *Hippocrates Aph. LXII, Sect. V. Qvæ frigidos et denſos habent locos, utero non concipiunt. Et qvæ præhumidos habent, gravidari nequeunt: extingvitur enim in ipſis genitura. Et qvæ ſiccieres et æſtuoſos: nam alimenti defectu, ſemen corrumpitur. Qvæ vero ex utrisque moderatam nactæ ſunt locorum temperaturam, eæ fœcunditate valent. Et lib. περὶ ἀφορῶν: Si uteri lubrici fuerint, mulier utero non concipit, ſemen enim foras elabi ſinunt.* Indidem facilis et freqvens abortus oritur, qvia conceptus firmas ſatis radices agere in laxatis nimium glandulis uteri neqvit, atqve asſidua alluvione abripitur, et eiicitur.

XII.

IAm vero ex commemoratis partium affectarum et humorum vitiis etiam cauſam perſpicimus, qvamobrem fluor is hoc magis difficilem admittat curationem, qvo magis adolevit, et inveteravit, ita ut inter Medicorum ſcandala referri iure poſſit. Namqve in illo perpetuo ſuccorum, ipſiusque menſtrui ſangvinis tranſitu perquam eſt difficile glandulas tono et vigori ſuo ita reſtituere, ut modo debito contrahantur. Præſertim

cum in malo inveterato, et in ſeneſcentibus, in tumores abeant inſanabiles, modisqve aliis ita pervertantur, ut ea fluxio ad mortem usqve perſeveret. Neqve vero ſuis eam periculis carere, ex adductis ſupra, et pluribus aliis, qvos proferre ſolet, fructibus intelligitur. Nam etſi in quibusdam citra noxam graviorem diu perdurare posſit: tamen plerumqve multa poſt ſe mala trahere, aliqvando etiam ruinam utero, et toti œconomiæ corporis, inferre tandem ſolet. Aſt fieri interdum videas, ut ex ſuppreſſione menſium natus fluor albus, horum qvaſi vicarius fiat, et multa allevet incommoda, qvæ ab illa alioqvi proficiſci conſveverunt. Sed miſerum tamen eſt, agrum naturæ, ferendis hominibus a Deo factum, ſordibus ſqvalere.

XIII.

POſtremo illud iam animo et cogitatione comprehendimus, in Curatione huius mali operam adhibendam eſſe, ut humores ſupervacanei per convenientes vias educantur, eorumqve cacochymia corrigatur, et tonus uteri inſtauretur, ac confirmetur. Itaqve, ſi plethora urgeat, et nimia ſangvinis copia glandulas uteri collabefecerit,

rit, ſangvinis miſſio per venæ ſectionem, vel ſcarificationem, non ſine commodo inſtituetur. Neqve enim hic audiendus *Semmertus*, qvem plures ſeqvuntur alii, cum *Pr. lib. IV, p.* 11, *ſect.* 2, *c.* 12, omnem venæ ſectionis uſum reiicit, veritus, ne pravi humores, ad uterum fluentes, in venas revocentur, et ſangvinem inqvinent, ac præterea vires nimium proſternantur. Nam metu hoc circulus ſangvinis, ignotus iſti doctiſſimo medico, et eius abundantia nos liberat, cum non niſi urgente id plethora, qva nihil fere promtius glandulas uteri diducit, venæ ſectioni locum demus. Hac ratione videas, ea, ut decet, præmiſſa, fluorem illum, qvi a nimio menſium fluxu proficiſcitur, vel augetur, faciliorem deinde curationem admittere.

XIV.

VT autem venæ ſectio rarius locum habet: ſic e contrario catharſis principio curationis nunqvam omittenda eſt, ut ſordes primarum viarum expurgentur, et ipſius immundities ſangvinis per vias alvi divertatur. Plus vero hic benignis illis et mitibus auxiliis, ex floribus acaciæ, mali perſicæ, myrobalanis, tamarindis, caſſia, et ſena orien-

entali, qvam naturam magnopere turbantibus agitantibusqve remediis, proficimus. Neqve defraudanda eſt laude ſua magneſia alba, ex lixivio nitri recte parata, qvia alvum facile movet, et ſerum copioſum ſine omni moleſtia educit. Qvidam, nec immerito, hieram Galeni laudant. Ialapium qvoqve, cum ſale qvodam tartareo, vel nitroſo, aut eius reſina, cum gummi ammoniaco, vel galbano, mercurioqve dulci, ſociata, hic ſæpe multum proderit. Qvodſi ventriculus, ut ſæpe fit, cruditatibus ſcateat, maximo uſui blanda erunt emetica, ex qvibus una arridet Ipecacuanha, qvod et vomitionem leniter ciet, et perſpirationem corporis egregie adiuvat. Hac ſola, bis, terve, repetita, fluorem album conqvieviſſe novimus.

XV.

Corpore ſatis expurgato, laborandum eſt, ut aptis remediis aperientibus, et diaphoreticis, univerſi tranſpiratio corporis vigeat, qva qvippe feroſa ſangvinis chyloſaqve colluvies corrigitur, atqve ab utero divertitur, eaqve purgato ſangvine, ac inſtaurato vitali circuitu, tonus, ut partium aliarum, ſic uteri qvoqve, melius, qvam re-

me-

mediorum usu adstringentium, reficitur. Nam si succus sangvisqve bonus sit, nec redundet, non laborabit uterus, aut, si laboret, tutius corroborantibus confirmabitur. Atqve hæc nobis qvidem causa esse videtur, qvamobrem magna ex parte hoc fluore laborantes, ut incuratæ, relinqvantur, qvod temere, nullaqve methodo, morbi curatio suscipiatur. Namque in eo quotidie errari videmus, quod ea adstringentibus, interius, externeqve adhibitis, perfici vulgo credatur. Qva tamen ratione vel contumaciorem fieri fluxionem, vel ea temere suppressa, varios ventriculi, et capitis, ac pectoris affectus, cachexiam, tumores, ulcera, malaqve alia inferri, experientia testatur, et sua qvemqve ratio monere debet. Hujusmodi suppressionis funestæ, atqve in exitiosam mutatæ diabetem, exemplum habet *Ballonius*, *lib. I, consil.* 56. Id ipsum igitur bene perspiciens *Galenus*, uti in methodo, et ratione medendi, incomparabilis erat, cum in curatione uxoris Boethi præcipui Romæ medici non modo nihil profeciissent, sed ineptis etiam remediis tumorem ventris procurassent, purgata semel iterumque alvo, et paucis adhibitis aperientibus, potissimum frictioni-

bus, parcoqve potu, illam feliciter absolvit, ut *lib. de præcogn. ad Posthum. cap.* 8, refert.

XVI.

CVm autem magna sit aperientium atqve diaphoreticorum colonia, et natura a natura differat, suosqve fluor albus gradus habeat, id qvidem porro patet, non eadem omnibus convenire, sed alia aliis adhibenda esse. Ita enim qvibusdam, comperias, prodesse infusa, decoctiones, atqve essentias lignorum, nonnullis remedia ex stibio, marte, iove, ebore, lapidibus cancrorum, aliisqve absorbentibus, marinis, ac terreis, facta, aliis ex succino, castoreo, myrrha, resina gvaiaci, balsamo Peruviano, camphora, croco, aliis ex china Chinæ, cortice VVinterano, sive schacharilla, herbisqve, et radicibus amaris, et aromaticis, qvas vulgo cephalicas, stomachicas, et uterinas vocant, atqve aromatibus ipsis, ut et seminibus carminativis ac diureticis, aliis ex opiatis, theriaca, mithridatio, diascordio, cum iis, qvæ modo dicta sunt, varie mixtis, parata, aliis tincturas bezoardicas, salem Aetii, salia item volatilia, simplicia, vel aromatica, et oleosa, con-

du-

ducere. Nobis ea in primis aperientia placent, qvæ vim excitantem, rarefacientem, et corroborantem habent, qvibus qvidem nunc ſolis, modo temperantibus iunctis, rectеqve adhibitis, non paucas, quæ per plures annos eo fluxu conflictatæ fuerunt, ſanatas novimus, ſine ullorum uſu adſtringentium. Et profecto raro his opus habebimus, ac ſicubi ea neceſſaria viſa fuerint, aperientibus atqve diaphoreticis commode temperabimus. Qvomodo qvidam ſpecies decarabe, coralia, oſſepiæ, et eius generis alia, cum theriaca, vel mithridatio, diacoro, zingibere condito, conſerva menthæ, et fl. anthos, in forma electuarii, uti conſueverunt. Eadem ratione etiam acrimonia ex ſanguine auferetur, neqve opus habebimus, ut eam remediis gummoſis et glutinoſis, ex gummi Arabico, tragacantha, ichthyocolla, et huiusmodi aliis, irretiendam, vel iisdem remediis vias uteri conglutinandas putemus. Recte et prorſus ad mentem noſtram *Corbeius*, *Gynæc. lib. I, cap. 3. Alterantia exhibentur, qvæ humiditates haſce corporis exſiccent, et abſumant, eoqve validius, ſi aqveus, et pituitoſus hic ſit fluor, addendo illis, ſi immodicus ſit, qvæ adſtrictione inſuper prædita,*

illum etiam nonnihil cohibeant. Qvalia multa in mensium profluvii cura exposita, hic qvoqve competere possunt, attenta tamen hac animadversione, ne nimis cito in hoc fluxu adstringentia adhibeantur, et qvod remedia magis siccare, qvam adstringere debeant, qvibus et qvæ utero simul appropriata sunt, permiscentur. Nolumus hic formulis remediorum paginas implere, cum eæ cuiusvis laborantis constitutioni sint aptandæ. Nec vero, qvi recta methodo uti novit, remediis empiricis delectabitur, quorum fallax, nec raro noxius esse usus solet.

XVII.

AB hac medendi ratione haud alienus fuit *Hippocrates*, cum *lib. II de morb. mulier.* ita habet: *Si fluor albus detineat, hisce conveniunt diuretica, capitis purgationes, balnei abstinentia, epithymum album epotum, deambulationes, et omnis diæta exsiccans.* Huius insistens vestigiis Galenus, decoctione asari, et apii, paucoqve potu, ut supra meminimus, feliciter usus est. Ast cautione opus est in usu diureticorum, ne ad ciendam nimis urinam, sed excitandam in primis transpirati-

tionem accommodetur. Qvapropter minus his assentiri possumus, qvi nimium terebinthinatis, et diureticis vehementioribus aliis, fidunt. Suus tamen thermis locus est, qvas *Sennertus* l. c. tantopere prædicat, qvod redundantes in corpore humores evacuent, atque ab utero divertant, et viscera purgent, ac roborent, modo conveniens continuetur diæta, et transpiratio libera servetur.

XIIX.

EXterna ante sufficientem corporis purgationem plus nocere, qvam prodesse, et ratio dictitat, et usus rerum testatur. Ac vix iis unqvam opus habebimus, si qvidem remediis interioribus recte utamur. Alioqvin enim parum auxilii tam a thermis, qvam a balneis, sive ex aperientibus, sive ex adstringentibus, vel utrisqve, parentur, itemqve a fotibus sperandum erit. Iniectiones non magni æstimandas, neque nimium suffitibus tribuendum esse, sive ex salvia, et herbis eius generis aliis, sive ex antimonio, sive ex thure, succino, mastiche, et huiusmodi aliis, fiant, ipsius natura mali declarat.

XIX.

PLus conveniens victus, vivendiqve ratio, præ-

ſtare, et ſæpe ſola fontem catarrhi exhaurire poteſt. Qvo in primis aer conducit temperatus, vel ad calorem vergens, et ſiccus, cibusqve boni ſucci, corpus non gravans, ſed recreans, atqve aromatibus, et herbis, ac floribus aromaticis conditus, qvibus et motus ſangvinis, et tonus, ac robur viſcerum, erigitur. Potus ſit paucus, vel modicus, vinum nempe bonum, odoratum, qvod plus ſæpe proderit, ſi meliſſa, ſalvia, roremarino, abſinthio, in id infuſis, medicinales vires accipiat. Vicaria vini cereviſia non ſit feculenta, ſed clara, et lupuli ſalictarii floribus condita, vel etiam ſalvia, aut abſinthio, medicata. Plurimum qvoqve utilitatis motum, atque exercitationem corporis, conferre, vel ex eo patet, qvod fluorem hunc qvies augeat. Demum ſomnus, et vigiliæ, animorumque affectus, intra mediocritatis limites conſiſtere, et omnes vigere excretiones debent, ſi optatum velis curationis exitum.

Thei-

THeiologos orbi magnos genis
clara miniſtrat,
Ex juris myſtis nomina celſa
tenet.
Ad ſacra diſcedis miſſis his primus
Hygeæ,
Ne ſis deterior, nitere, fama tuis.

Gratul. ſcripſit Lipſiæ
JOH. HEINR. ERNESTI,
Prof. Publ.

ORdinis adſcendis, felix adſcende! cathedram,
Qua medica doctus damna fugare manu.
Viderat, inſidiis qui vos petit horridus hoſtis,
Terrigenæ, & rauca hæc, Mors mala, voce refert:
Solvite ſolertes lapides, & igne metalla
Solvite, ut & ſuccum præbeat herba ſuum;
Præbeat Ægyptus medicataque funera, terram
Præbeat & Lemnus quam ſua ſigna notant;
Anne fugant mortem cataplaſmata, pilula, pulvis?
Immo jocus, Medicus, Mortis, & ipſe, jocus.
Finierat nondum jactantia dicta Tyrannus,
Splendida cum ſubito cælo Hygiæa venit:
Teque

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id425697444/33 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Teque manu, Frater, prenſum; Bene perge, canebat;
Te ſummus Medicus, Te vocat ipſe DEUS.
Et licet in Medico non ſit relevetur ut æger,
Herba licet ſemper nec cataplaſma juvet:
Te tamen Amoſidis ficus, bubone remoto,
Et Morti auferri ſæpe cupita, docet.
Perge igitur felix! Felix adſcende cathedram
Quam medicus pandit Leucoris ordo tibi.
Numinis adſiſtat ſummi Benedictio cœptis!
Cuncta Hæc quæ vincunt pharmaca ſola dabit.

Dilectiſſimo ſuo Fratri
Paucis his
de Summo inter Medicos Honore
gratulari voluit

M. JO. BENED. CARPZOVIUS, Lipſ.
Hebr. L. Prof. Publ. Extraord.
& Concionat. Sabbath.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id425697444/34 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN

3 1062499

SLUB
Wir führen Wissen.

http://digital.slub-dresden.de/id425697444/35

gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id425697444/36
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG